



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.D.LXVI. Sancti Patris Benedicti. M.LXXXVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXVI.

Sancti Patris Benedicti. M. LXXXVI.

Mortur  
ven. Lud.  
Blosius.

Morte Venerabilis & sanctæ memoriae Ludovici Blosij nostri, Lætiensis Abbatis tristissimus terris & Germaniæ nostræ annus, cujus viri æterna & immortalia merita apud piorum animos æternum usque hodie ac deinceps operantur, fructificant & fructificabunt. Scripta ejus Divini Spiritus dictata esse, ut doctissimi & Religiosissimi quivis sentiunt, sic omnes omnino summè venerantur, & religiosissimè conservant; tantopere à veris non solum religiosis, sed veris Catholicis experta, ut mirum non sit usque hodie toties typo vulgata, cum plurimi sint, qui, exemplo tanti Cætaris sinu quoque suo perpetuo dignentur, maximoque cum gustu eadem, volunt semper & revolunt, toties repetita semper sapidiora & utiliora. Sunt autem alia inter, quæ videre necdum meruimus, quæque ille magno revera solatio Ecclesiæ universæ, & vel maximè Religiosorum omnium, & sui maximè Ordinis, reliquit :

Blosij operum  
Catalogus.

- Libri quatuor Psephagogia.
- Appendix ex Ruperto.
- Collyrium Hæreticorum cum Appendice Liber I.
- Expostulatio Christi Epus. Vita Christi.
- Explicatio Passionis Dominicæ.
- Farrago utilissimarum Institutionum.
- Facula pro illuminandis Hæreticis.
- Apologia pro Joanne Taulero.
- Institutio Spiritualis.
- Consolatio Pusillanimum.
- Tabella Spiritualis.
- Enchiridion parvulorum.
- Monile Spirituale.
- Salutaris Doctrina.
- Scriniolum Spirituale.
- Cimeliarchion piarum precularum.
- Jgnariolum Divini Amoris.
- Exercitia quotidiana.
- Dicta Patrum.
- Canon Vitæ Spiritualis.
- Speculum Spirituale.
- Corona Spiritualis.
- Speculum Monachorum.
- Medulla Psalmodie. & plurima alia.

Philippi 27.  
Regis Hisp.  
erga Blosium  
affectus

De Carolo V. superius diximus, quanti ipse libellos hos fecerit. Parentis optimi insistentis Philippus II. non ipse solus, Rex tantus, tanti quoque eisdem fecit: sed morti jam vicinus,

filia charissimæ Isabellæ Claræ Eugeniæ Belgarum postea Principi familiares hosce libellos sibi auscultanti, quotidie legendos præcepit. Blosij virtus, summos in Ecclesia honores meruisset, nisi ipse constanter eos abnuisset, respuisset, & contempisset. Cameracensem Archiepiscopatum & Ducatum ab amantissimo sui Imperatore Carolo V. oblatum, multo majore laude repudiavit, quam quisquam & unquam admiserit, sive administrarit. Obijt septimo Iduum Januarij, sepultus cum hoc digno, siquid dignum esse possit tanti Antistitis, Epitaphio :

*Qui tres exactè linguas callebat ab ipsa  
Ephæbia, Virtutum & omnium Nartheciū  
Blosius, heu! cecidit, bustoque reconditur  
isto.*

*Nostrum decus, miraculumque seculi.  
Qui legis hæc, vitæ sancto bona cuncta  
precare  
Et te para ad summi tribunal Judicis.*

Epitaphium  
ejusdem.

De eodem in fronte librorum ejusdem Jacobus Froius, ipsiusmet Blosij loquens nomine.

Jacobi Froij  
in Blosium  
lusio.

*Et post funera nunc, amice Lector  
Ex libris tibi vivo, spiro doctis  
Fama atque ingenio mihi superstes;  
Cui gens Blosia stemmaton honores  
Antiquos tribuit, deditque nomen.  
Qui Genti magè Blosiæ æternam  
Et famam peperit & decus superbum.  
Froius reliquias sacras librorum,  
Quas olim ingenio vigente cudi,  
Collectas simul exhibet fructuosas  
Froius præcipuum decus Monastion.*

Ipso anno sancti illius Hortensis in Hispania Canobij Horto sacro præficitur sanctæ memoriæ Abbas Marcus dictus de Barrio, qui ob insignia deinceps merita Universæ sacrae familiæ nostræ Cisterciensis creatus est Generalis, cujus tamen annum & diem obitus indagare nequivimus. Fuit Vir non solum miræ vitæ integritate præditus, verum etiam sanctitatis opinione clarissimus, cujus corpus, in oppido Mogaz ubi sepultum fuit, magna ab incolis in Veneratione habetur, & creditur indultum ejus meritis, quod ejus loci pagi, & fruges ex tunc usque hodie à grandine, atque omni tempestate immunes extiterint.

Hortense  
Monasterium  
verè  
Hortus Do-  
mini.

V. Marcus  
de Barrio  
Abbas.